



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

227. An regulares possint eligere in iudice conservatores Prælatos aliarum  
Religionum? Ex p. 9. t. 9. & Misc. 4. r. 26.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

cere potes  
quid est sen-  
tendum sup-  
hoc.

privilegia facultatem. Ita Peyrinus, *Lezana in compend. quest. Regularium c. 10. num. 96.* putat hanc sententiam speculatiue probabilem esse dummodo privilegia Regularium non sint facta via vocis oraculo. Vnde ex hac opinione sequeretur dominos Inquisitores posse hodie legere libros prohibitos, quia hoc eis competit ex privilegio concessio dignitati, & non personae, & dicta Bulla Pontificia, ut visum est, tollunt licentias quibuscumque personis concessas, non autem privilegia ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus amicissimus, & doctissimus *Lezana ubi supra*, negatiuam sententiam tenet, quia in praedictis Bullis reuocantur facultates concessae etiam per literas Apostolicas, & aliter quomodocumque, in quibus verbis videntur etiam comprehendere privilegia. Vnde subdit *Lezana*: Securior est haec sententia, & in praxi consulenda hinc stantibus supradictis difficultatibus, ego auctoritate Eminentissimi Principis, & Domini mei Don Francisci Barberini S. R. E. Cardinalis amplissimi, impetraui a sacra Congregatione S. R. Generalis & vniuersalis Inquisitionis licentiam legendi quoscumque damnatorum auctorum libros, seu alias quomodolibet prohibitos, etiam damnatos in Indice Romano librorum prohibitorum, quam licentiam authenticam penes me habeo, datam in Conuentu sanctae Mariae super Minerua die 15. Iulij 1636. & registratam hic Panormi in nostro Tribunali sancti Officij die 20. Augusti, eodem anno 1636.

### RESOL. CCXXVII.

*An Regulares possint eligere in iudices conseruatores Praelatos aliarum Religionum: Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 26.*

§. 1. **A**firmari videntur respondendum ex his, quae habentur in Allegatione Ioannis Naldi, quam penes me impressam habeo pro Patribus Societatis Iesu contra Episcopum Angelopolitanum, ubi sic habetur, §. 80. vsque ad 87. Quoad secundum. Conseruatores a Patribus Societatis electos, fuisse legitimos, & competentes patet attento c. *in de Indic. deleg. in 6.* In quo Conseruatores possunt eligi Episcopi Abbates seu Dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes. Patres autem praefati obtinent dignitatem, & personatum respectiue, quia Pater Io. de Pareda est Prior Conuentus S. Dominici, Pater autem Augustinus Godinez est Definitor Capituli Generalis. Quod Prior Regularis sit dignitas, & capax rescripti Apostolici, patet ex cap. *statutum ver. Obtenentibus de rescriptis in 6.* & statuitur expressè in Clement. *Et si eodem tit. ubi prior Conuentualis, id est habens sub se capitulum, & collegiatam Ecclesiam, licet non esset electus, sed tantum ad notum, dicitur esse in Ecclesiastica dignitate constitutus ad effectum ut si capax delegationis Apostolicae, secus esset de priori Claustrali, qui non habet Capitulum, ut bene Glossa ibi vers. Conuentualem, & clarus Glossa in Clement. Ne in agro. §. Ceterum, de statu Monachorum: dicit, prioratus Conuentualis est, in quo sunt plures collegialiter, & in cap. Nobis fuit vers. Conuentualis Ecclesia, declarat eadem Glossa ad constituendam conuentualem Ecclesiam si ficere, quod plures collegialiter viuunt; ad Text. in cap. 1. de elect. id est quod faciant vnum Capitulum, siue vnum corpus iuxta dispositionem c. *Dilecta de Excess. Prelat.* Definitor quoque est personatus, quia maior est priore, & vocem habet in capitulo Generali, quia ad delegationem sufficit praereminentia, qua quis praer alios datus est in aliqua Ecclesia, uti dicit Glossa in citato cap. *Statutum,**

*ver. Pradictis de rescriptis in 6. c. Quamuis verba de significacione.* Et apparet ex constitutione Clementis VIII. anno 1592. quae incipit, Sanctissimum, & alia simili Gregorij XV. de anno 1621. quae pariter incipit, Sanctissimus: in quibus mandata Apostolica talibus delegatur. Et quatenus Definitor non habet dignitatem sufficientem, sufficit quod prior sit sufficiens, quia cum fuerit deputatus in solidum, sufficit quod vnus esset capax: nam vtile per inutile non vitiatur, l. 1. §. sed si, ff. de verb. obligat. cap. vtile 37. de Regularium in 6. quod autem sub pena fuerit electi in solidum, patet ex petitione provincialis, supra num. 4. in illis verbis, in principio, *Parezo ante Vestrar PP. muy RR. d. antes qualquieras de Vestrar PP. & in fine, a Vestrar PP. inuas y a qualquier de Vestrar PP. pido, &c.* Isti igitur fuerunt Iudices competentes iuxta sacros Canones, & de iure communi. Non enim obstat Constitutio Gregorij XV. qua in Iudices conseruatores demandantur Synodales in Synodo deputati: quia in illis regnis Iudices Synodales non sunt, vnde ad impossibile nemo tenetur, l. Si quis in gram. in prin. ubi Barol. ff. de Syllan. c. m. similibus, & quando tales non existunt, tunc possunt eligi alij, qui habeant qualitates de iure communi requisitas, hoc est, qui sint in Ecclesiastica dignitate, vel personatu, quales sunt nostri, ut vidimus. Sed quod tollit omnem dubitationem, Gregorius XIII. in Bulla data 24. Octobris, anni 1579. concessit quod Societas in Indijs eligere possit loco personatum in Ecclesiastica dignitate constitutum, quosuis idoneos, & probos viros saeculares characteris Clericali insignitos, non tamen coniugatos, nec propterea dictam Societatem ad certos, & determinatos Conseruatores obligari, auctoritate Apostolica licet, ex quibus patet, quod erat liberum Societati eligere Conseruatores: relictum autem Regulares quia Saeculares illi erant suspecti, cum D. Episcopus Aduenturarius, tunc esset visitator Regius omnes facilliter ad suam partem traheret, vel saltem illius timore contra illum nemo procedere praesumebat. Et Patres Dominicani habent privilegium a Clemente Septimo sub die octavo Martij 1533. in quo conceditur illis, posse eligere Conseruatores quoscumque personas Ecclesiasticas, Saeculares, & Religiosas, etiam in Ecclesiastica dignitate non constitutas, dummodo litterati sint, & si non sunt litterati, adhibeant Assesores, & in sacris ordinibus constitutos. Et haec omnia, ut dixi, habentur in supra citata allegatione.

2. Sed ego puto hodie circa praesentem questionem, silere omnia Regularium privilegia, ut optime obseruat ex eadem societate Caltrus Palaus, tom. 3. tr. 16. §. 4. punct. 12. §. 1. n. 9. ubi sic ait: Dixi spectato iure communi; nam si specialia privilegia Societatis Iesu spectentur, quilibet Superior Regularis eligi potest in Iudicem conseruatores, ut constat ex Bulla Gregorij XIII. edita anno 1573. cuius meminit Manuel Rodriguez tom. 1. qq. Regular. quest. 65. art. 3. Sanchez, lib. 6. n. 79. Sed quidquid sit de his privilegijs, & de delegatione, cap. *in de officio delegat. in 6.* standum est Constitutioni Clementis VIII. edita anno 1592. & Constitutioni Gregorij XV. edita an. 1621. Quarta tenorem refert Barbola, allegat. 106. in fine a num. 53. quibus cauetur, nullum alium conseruatores eligi posse à Regularibus, nisi qui qualitates habeat in dicto capite, Statutum, praescriptas, designatque Iudex sit in Synodo Provinciali, vel Diocesana. Et ob hanc causam quaerent Archiepiscopo Turritano, an Regulares vnus Conuentus; Monasterij, vel Domus aliquam Priorem, seu Guardianum, vel quemuis alium, quauis dignitate Regulari fulgentem in sum Conseruatores eligere, vel deputare possint: Sacra Cardinalium Congregatio respondit 6. Octobris anno 1617. non posse, sic Barbola alleg. 106. n. 15. Hucil-

# De Dubiis Regularium. Ref. CCXXVIII. 145

que Palauis, cui adde ex eadem Religione Fragosum in Rep. Christ. tom. 2. lib. 4. disp. 2. §. 6. num. 112. & sequentibus.

Nota tamen quod post hæc scripta promulgatum est Breue Sanctissimi D. Noltri Innocentij Decimi sub die 14. Maij 1648. vbi plura definiuntur circa Conservatores ex causa litis supradictæ, inter Patres Societatis, & Episcopum Angelopolitanum; idem Lectoribus illud legendum remitto.

## RESOL. CCXXVIII.

An in exemptione solvendi decimas pro sit communicatio privilegiorum qua inter se gaudent Regulares: Ex p. 10. u. 11. & Milc. 2. Ref. 50. aliis 49.

**1.** Negatiue ex multis Decisionibus Sacre Rotæ respondet Trullench in Decalogum, to. 1. c. 3. d. 1. n. 4. vbi sic ait: Hinc fit, vt quando Papa communicat Privilegia alicuius Religionis, in quibus adest expressa mentio à solutione Decimarum, alteri Religioni non censeri etiam communicasse exemptionem à solutione Decimarum, nisi de hac exemptione fiat specialis mentio, cum difficulter concedatur. Ita Barbosa de Iure Eccl. l. 3. c. 26. §. 3. num. 41. cum Felino in cap. Sedes, numer. 3. de Rescript. & alij, Ita Trullench.

2. Verum affirmatiuum sententiam mordicus tenet Ioannes dela Cruz, in Epit. Priuil. 2. c. 6. Raphaël de la Torre, in 2. tom. 1. q. 87. disp. 1. n. 5. & Doctus, & amicissimus Pater Lezana in Summa, tom. 2. verb. Decima, quoad Regul. n. 8. vbi hæc ait: Sed quia hic communiter affert solet communicatio privilegiorum aliarum Religionum, ita vt in hac materia, sicut in aliis de sententia communicatio privilegiorum, quam aliquæ Religionis habent, obliuendum quarto, Sanctam Rotam in vna Valentina anni 1603. supra relata decidisse, privilegium eximens à solutione Decimarum non comprehendit in generali communicatione privilegiorum vnius Religionis aliis facta, nisi expressè fiat mentio talis privilegij, etiam si inter privilegia communicata ad sit aliquid quod non contineat aliud quam exemptionem à solutione Decimarum. Cuius decisionis duplex assignatur ratio, quia, quod in communicatione generali non veniunt ea, quæ vel non concedi solent, vel magna cum difficultate conceduntur. Secunda, quod nec conceduntur ea, in quibus agitur de præiudicio tertij, talia enim privilegia debent strictè interpretari. Sed quamuis multum deferendum sit huiusmodi Sanctæ Rotæ decisionibus & quia à vicis sapientissimis, & magna adhibita diligentia factæ sunt, nihilominus rationes adductæ non videntur valde efficaces, non quidem prima; quia huiusmodi privilegium exemptionis, non raro, sed sæpius, nec magna cum difficultate à Sede Apostolica concedi solet in Religionibus, vt patet in intuitu privilegia. Nec secunda, quia doctrina illa intelligi debet, quando recta ratio non dicitur contrarium, vt quando agitur de causa pia, & religiosa maxime concernenti utilitatem totius Religionis, aut Monasterij, vt in præsentia. Tunc enim privilegia quamuis contraria commune sunt, & in præiudicium tertij ampliari debent. Quia, vt bene Iuriconsultus in leg. Sunt personæ, ff. de Religiosis, & sumptibus funer. Summa ratio est, quæ pro Religiosis facit. Suarez de Legibus, lib. 8. c. 27. n. 7. Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 1. n. 13. Quare sub aliorum censura non video rationem sufficientem, quare in aliis materiis subsistat communicatio privilegiorum, quæ Religionis habent, non verò in ista. Hincque Lezana, cui etiam adde Philippum de la Cruz, in de Decim. §. 2. n. 8.

Tom. VII.

3. Sed nouissimè in hac difficultate vitur distinctione Leandrus, de præcept. Eccl. tract. 6. disp. 6. q. 46. & ita asserit, quod duplici via possunt communicari à Pontificibus privilegia alicuius Religionis alteri. Vno modo, per modum simplicis communicationis, per clausulas generales, & communes; Alio modo, per modum concessionis eorundem privilegiorum, specificè & particulariter, hoc est per clausulas específicas, particulares, veluti nobis communicauit privilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, Canonico- rum, & Clericorum Regularium Societatis Iesu, & aliarum omnium Congregationum, & Religionum, Urbanus V I I. Si ergo, primo modo communicat Pontifex privilegia alicuius Religionis, in quibus ad sit exemptio à decimarum solutione alteri Religioni, dicendum est non censeri communicasse exemptionem à solutione Decimarum, nisi de hac exemptione fiat specialis mentio: quia cum id sit difficilis concessio, non venit in generali concessione. Et in hac consideratione habet verum quod docent Authores primæ sententiæ, & Decisiones Rotales. Si autem secundo modo communicat Papa privilegia, in quibus continetur exemptio ab onere decimarum, dicendum est, etiam censeri communicasse exemptionem ab onere decimarum, quamuis de hac exemptione specialis mentio non fiat cum specificè, & individualiter, ac nominatim per modum concessionis, eadem privilegia in quibus talis exemptio à solutione decimarum continebatur concessa fuerint. In quo sensu, ad minus verissimum est, quod Authores Secundæ sententiæ affirmant. Nec contra nostram responsonem obstat quid fundamentum contrarium, videlicet quod debeat fieri de hac exemptione specialis mentio, cum difficulter concedatur. Nam respondetur primo: quod hoc habet verum quando communicatio privilegiorum, in quibus continetur exemptio à solutione decimarum fit per clausulas generales, & communes, non vero quando fit per clausulas speciales, & particulares, cum hæc aliquid speciale, & particulare debeant operari. Secundo respondeo: quod dicta doctrina subsistat, si alias (præter exemptionem datam) in breui communicationis non dicatur, quod communicantur omnia privilegia, etiam illa quæ sunt speciali nota digna, difficultique concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, &c. Et hæc omnia docet Leandrus vbi supra. Vnde vidisti, amice Lector, opinionem Sacre Rotæ circa hanc difficultatem, non esse communiter receptam, & illam absolute reprobatur nouissimè Pater Hieronymus Garcias, Polit. Regular. tom. 1. tractat. 8. difficultate 4. d. 2. punct. 4. numero octauo. Sed ego non recedo à sententia Sacre Rotæ, quam tenet etiam Merolla tomo 3. disputatione 6. capite 4. dubio 8. numero 74. quia in generali communicatione non veniunt privilegia aliis præiudicialia.

In Tract. 12. in fine, Resolutione Quadragesimana, hæc imprimantur.

4. Confirmatur hæc opinio ex Bulla Pij V. data Romæ die vltima Iunij anno 1570. quæ incipit Ad perpetuam rei memoriam, &c. in qua apparet apertè, Summum Pontificem tam benè affectum erga Regulares declarare, Privilegia communicatiua Regularium pro exemptione à solutione Decimarum, Primitiarum, quartæ medietatis, vel quæ funerum, & obligationum partem, aliamque temporalitatem concernunt, reuocata, cassata, irrita, euacuata, annullatæque existere, ac nullatenus suffragari, & solum proficere quoad spiritualitatem. Bullam hanc inuenies per extensum in Pastoralis interno doctissimi, & amicissimi viri Didaci N Antonij